



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

417. De pauperibus, qualiter alantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

& sicut homicida debet pœnitere.

De bubulcis & porcariis , ut ad Missam
veniant saltem in dominicis diebus.

Vnde supra.

CCCCXVI. Admonere debent sacer- Burchard. lib.
2. c. 71.
dotes plebes sibi subditas ut bubulcos atque
porcarios vel alios pastores vel aratores, qui
in agris assidue commorantur vel in silvis, &
ideo more pecudum vivunt, in dominicis &
in aliis festis diebus saltem ad Missam faciant
vel permittant venire. Nam & hos Christus
pretioso sanguine suo redemit. Quod si negle-
xerint, pro animabus eorum absque dubio ra-
tionem se reddituros sciant. Siquidem Domi-
nus veniens in hunc mundum, non elegit ora-
tores atque nobiliores quosque, sed piscatore
atque idiotas sibi discipulos adscivit; ut osten-
deret in facto quod ipse verbo in evangelio ad-
firmat dicens: *Quod hominibus altum est, abo-
minabile est apud Deum.* Et salva altiore intel-
legentia, nativitas nostri redemptoris primò
omnium pastoribus ab angelo nuntiatur.

De confessione, de pœnitentia, de decimis,
& de ebrietate, & de vomitu post eucharis-
tiam, in primo libello supra expositum est.

De pauperibus, qualiter alantur.

Ex Concilio Turonensi.

CCCCXVII. Unaquæque civitas pau- Concil. Tu-
ron. 2. c. 5.
peres & egenos alimentis congruentibus pas-
cat secundum vires, & tam vicini Presbyteri

368 REGINONIS LIB. II.
quàm cives unusquisque suum pauperem nutriat. quo fiat ut ipsi pauperes per alias civitates non vagentur.

De eadem re. *Ex Capitularium*
lib. I. cap. CXVIII.

Lib. I. Capitular. c. 124.

CCCCXVIII. De mendicis qui per patrias discurrunt, volumus ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio aut de propria familia nutriat, & non permittat alicubi ire mendicando. Et ubi tales inventi fuerint qui laborare manibus possunt & non faciunt, nullus eis quicquam tribuere præsumat.

De eo qui bannum Episcopi vel Presbyteri parvipendit. *Vnde supra.*

CCCCXIX. Quisquis bannum vel excommunicationem Episcopi vel Presbyteri sui superbiendo parvipenderit, hic talis ab Ecclesia penitus evellatur. Ait enim Dominus ad Moysen: *Anima qua superbiendo mandatum Domini transgressa fuerit, peribit de populo suo.* Hinc Dominus in evangelio: *Qui vos spernit, me spernit.* Et Moyses contumacibus dicit: *Non contra me est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Et Dathan & Abiron vivi absorpti sunt, quia insurrexerunt adversus eundem Moysen, & ejus mandatum spreverunt. Et ideo tale scelus gravissimè vindicandum est.

Num. 15.

Luc. 10.

Exod. 16.

§ † §

De